

*ius*  $\phi$  quem vel solum heic allegasse sufficiat. Tutius enim uni autori inhæremus, quam plurimis, iisque variis ac diversis, quum vel sagacem canem divergia viarum impedire queant & decipere: quamquam tantum nobis nunquam sumimus, ut censuram absq; suffragio exerceremus, sed, *verbo* Ciceronis  $\chi$  *consideratissimo*, ita arbitramur.

Quòd verò in distribuendis aut Præmiis aut Pœnis non utamur *proportione* aut Arithmetica aut Musica, sed Geometrica, præterquam quòd prælarissimi quique statuerunt Philosophi, etiam per se aliàs clarum est & manifestum. Namq; heic non attenditur æqualitas ejus, quod quis accipit, ad id, quod alius accipit, secundum modum utriusq; personæ, adeò ut rarò vel nunquam alicui tantum obtingat, quantum per se merebatur, quum nempe restantæ magnitudinis & multitudinis non sit, ex qua præmium virtuti tuæ fuerit reddendum, ut est *fiscus publicus, thesaurus adeptus, dividundi agri* &c. Et, ut de pœnis quoq; dicatur, quis immanissimus unquam latro tantum aufert cruciatum, quantum scelera ejus sæpe iterata merebantur? Quod si autem Respublica stipendium cuiquam persolvat, aut operam illius certis beneficijs compenset, ut ut ex certâ obligatione illud faciat, aut aliàs ita dignum judicet, non est is actus justitiæ distributiæ, sed commutativæ, quia est compensatio quædam atq; merces pro ratione Arithmeticæ proportionalitatis, quam coram patrefamiliàs urgebant etiam conducti operarij  $\psi$  qui præ reliquis integrum diem fodiendo insudarant:

Hæc enim est ratio *Justitiæ Commutativæ*, In contractibus & rerum commutatione nullo habito personarum respectu eam servare æqualitatem, ut suum quisq; consequatur, & nulla pars defraudetur: nempe, tantum quisq; accipiat boni aut mali, quantum utriusq; ab illo in alterum est profectum. Ut, si quis ædes vendiderit, tantum pecuniæ ab emtore expectet necesse est, non quanto ille fortè dignus sit, si dignitatem ejus inter cives spectare voluerimus, sed quantum numerum compensare ædes illas queat, nec alio etiam fine pecuniam emtor erogat. Ejusmodi verò commutationes dispescuerunt Aristoteles & alij Doctores in *Voluntarias* & *Involuntarias*. In hisce est *Furtum*, ubi oc-

cultè

( $\phi$ ) *doctrin. Civil. lib. III. c. 12.* ( $\chi$ ) *Orat. pro Fontejo.* ( $\psi$ ) *Matth. xx, §. 12.*